

AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA,

MATVTINIS DISPVTATIONIBVS

DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

Die Iouis XI. Feb.

M. NICOLAO ELLAIN,

DOCTORE MEDICO,

MODERATORE.

An dysenteriæ venæ sectio?

FLVORIS alui vt variæ sunt differentiæ & causæ, ita dissimilis curatio. Cuiuis morbo, vel etiam symptomati, contrarium remedium opponendum. Quod futurum est irritum, nisi causa tum externa, tum interna priùs summoueatur, nec solùm ab iis, sed etiam ab adiunctis curandi ratio diuersa desumitur. Sic cacochymiæ purgatio, plethoræ phlebotomia rectiùs decernitur. Si febris adsit, vel inflammatio, aut dolor vrgeat, phlebotomiæ locus potior esse debet

Neque tum alui profluuium (niſi fortè criticum) viribus permittentibus eam diſſuadere poteſt.

QVALISCVMQVE ſit fluxus, tribus generibus comprehenditur. Si nihil ab aluo mutatus cibus dejiciatur, λειεντερία eſt, communis ventriculo cum inteſtinis: quæ ſi morbum longum frigidiorum humorum alumnum ſequatur, ſpem ſalutis adimit. Si ſanguis, multiplicem parit dyſenteriam, nimirum αἱματηρὰν, mutilis familiarem: melancholicam ſplenicis ſalutarem: hepaticam prorſus lethalem: & inteſtinalem cuiuis ætati, ſed maximè puerili & ſenili calamitoſam: quod ſi frequens adſit, & liquida cæterorum humorum deiectio, Diarrhœa eſt, quæ vel defectu ἀναδόσεως, vel confluxu materiæ copia aut qualitate peccantis excitatur.

DYSENTERIA, quæ ab affecta ſede nomen habet, omnium moleſtiſſima eſt, vt quæ cæteras doloris vincat acerbitate, nec vllis cedit periculi magnitudine. Nihil eſt aliud quàm ἕλκωσις inteſtinorum nunquam expers doloris, & quæ non rarò inflammationem, ſæpiſſime febrem inducit. Hæc autem nonnumquam ab externis cauſis, vt prauis alimentis, & acribus pharmacis, ſæpius ab internis, vtraque bile, aut ſalſa pituita ducit originem. Sed hæc mulieribus, illa viris frequentior: vtraque contagionis particeps & popularis: maximè verò per æſtatem, ſi aquiloniam hyemem ver auſtrale conſequatur.

TAM atrocis mali periculum colligitur ex parte affecta, vlceris magnitudine, humoris specie, & interdum ab excretis & symptomatis. Vlcus, si gracile aliquod intestinum occupet, præsertim ieiunum, vix coalescit: idem si crassum penitiùs depascatur, ita vt ἐφελκίδας abjiciat, lethale: ab atra itidem bile si ortum ducat, non minùs quàm occultus Cancer exitiosum: quoad symptomata, longè grauior est dysenteria, quæ cibi fastidium inducit quæ bilis vomitum coniunctum habet, quæ cum febre inuadit & perseuerat: quæ nascitur ab inflammatione præcordiorum, quæ varia promit proditque excrementa, quæ demùm sequitur abscessum mesenterij: quamquam hæc non prorsus desperanda.

QVÆCVMQVE sanabilis est dysenteria, siquidem intempestiuè supprimatur, abscessum facit. Eius curandæ initium sumi debet ab humoris peccantis vacuatione. Cui scopo nullum quidem rheo præstantius remedium. Cui tamen Senna interdum, cassia out Catholicum vtilius præferetur. Quòd si febris adsit, vel inflammatio, dolorque ingens, & corpus plethoricum, phlebotomia longè tutiùs præmittetur, vt quæ non solùm minuat plenitudinem, sed etiam febrem & inflammationem extinguat, dolorem mitiget, bilis impetum reprimat, fluxum denique ipsum cohibeat: eaque sæpius magno successu repetenda: qua præmissa locus erit commodior purgantibus medicamentis & adstringentibus enematis, epicerasticis, hypnoticis, narcoticis, dolorem se-

24

dantibus, balneis contemperantibus, diüreticis deriuantibus (exceptis Spadenſibus) cæteriſque tum medicamentis intemperiem corrigentibus, tum crebris alimentis, quæ vires inſtaurando, morbo ſimul aduerſentur.

Ergo dyſenteriæ venæ ſectio.

Aſſerebat IOANNES PIETRE Pariſinus,
Anno ſalutis M. DC. X.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Dionyſius Guerin.	*M. Andraas le Gros,*	*M. Simon Pietre.*
M Iacobus Latus.	*M. Ioannes le Mercie.*	*M. Georg. Cornuty Dec.*
M. Ioannes Riolant Pr. Reg.	*M. Michael Toutain.*	*M. Claudius Botuyn.*

PARISIIS,
Proſtant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET,
Typographum, in Platea Malbertina,
ad inſigne D. Stephani.

M. DC. L.

cette meme these est inserée tome III des
theses in folio de la faculté. Th. 414.